

Proposita ascensione uel descensione quacunq; obliqua, arcum uel punctum eclipticae eidem correspondentem ediscere.

CAPVT XXII.



Conuerfa est praecedentis. Pone ascensionem tuam obliquam ad partem horizontis orientalis, mox enim arcum uel punctum eclipticae eidem correspondentem in contactu horizontis ibidem agnosces. Pari operatione, descensionem tuam ad partem horizontis occidentalis si locaueris, arcum uel punctum eclipticae eidem debitum, facile in contactu horizontis ibidem perpendes. Exemplo conuersae scilicet praecedentis sis contentus.

In quanto tempore quodlibet signum, uel signa quaelibet Zodiaci perorientur in sphaera recta, colligere.

CAPVT XXIII.



Statue initium signi tui propositi subtus armillam meridianam, & nota contactum eius inter gradus aequatoris, quorum numerum ad partem serua, postea uolue sphaeram uersus occidentem, donec finis signi ipsius sub armilla meridiana steterit, tunc iterum pone notam in aequatore, uel numerum graduum aequatoris sub armilla meridiana inuentum, extra scribe. Summam igitur graduum aequatoris a prima nota in secundam computando, uel numerum graduum ascensionis rectae initij signi a numero graduum ascensionis rectae finis signi subtrahendo, gradus ascensionum totius signi illius experieris. Hos igitur diuide per 15, nam 15 gradus aequatoris in qualibet hora perorientur, & quod exiuerit, est numerus horarum aequalium in quibus ascendit illud signum in sphaera recta. Residuum autem graduum (si quod post diuisionem remanserit) partem horae non perfectae explicat, quorum singuli pro quaternis horae minutis computandi sunt.

Idem aliter per indicem horarium prompte ostendere.

CAPVT XXIIII.



Loca initium signi tui propositi subtus armillam meridianam, & in tali dispositione indicem horarium ad 12 meridiei horam, & indice sic inuariato, circumagetur globus, donec finis signi propositi sub armilla meridiana steterit, tunc enim index horarius tibi insinuabit horas & partes horae, quibus hoc totum signum propositum perorientur in sphaera recta. Idem inuenies in horizonte recto, si sphaeram rectam posueris.

Quantum temporis quodlibet signum uel signa quaelibet conficiunt in sphaera obliqua sciscitari.

CAPVT XXV.

Compon